



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 86. Patriarchatus Constantinopolitanus frequenti vicissitudine turbatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

cudi curavit, sub hoc titulo: *Speculum Sæc. XVII.*
Christianæ pietatis, in quo connexio ac A.C. 1678.
fædus Catholicarum veritatum de Prædesti-
natione & Divina gratia cum creaturæ li- *Le Cerf*
bertate unacum reflexionibus moralibus per- *Bibl. Hist.*
penditur: cum autem Hieronymus Gri- *pag. 163.*
 maldus Cardinalis & Archiepiscopus
 Aquensis, necnon Carolus Mauritius
 Tellier Rhemensis Archiopiscopus, at-
 que Episcopus Gratianopolitanus in
 hoc libello Jansenianos vapores olfec-
 cisse crederent, die decima tertia Ja-
 nuarii hoc speculum censuris afflarunt:
 Verum Pater Gerberon suas doctrinas
 vindicaturus, binas literas ad præfa-
 tos Præsules dedit, ac librum inscri-
 ptum: *Speculum sine macula* edidit, ipse
 etiam Tournerius horum censuras li-
 bro, cui titulus: *collisio duarum clavium*,
 refellens, ostendere nitebatur, quod
 errores Gerberono imputati purissimis
 Christianæ Religionis veritatibus & fir-
 missimis fidei principiis haud absoni
 sint: saltem nunquam hic libellus
 Indici Romano librorum prohibitorum
 insertus fuit.

§. LXXXVI.

Patriarchatus Constantinopolitanus
frequenti vicissitudine turbatus.

Habe-

Sæc. XVII.
A.C. 1678.

*Act. erud.
Lips. ad
Ann. 1693.
fol. 8.*

Habebat Panajotus natione Græcus ac Magni Vezirii Interpres Conjugem ex Matronis Christianis primiceriam, quæ Mariti sui potentia ac divitiis intumescens, Dionysium Larissæum Patriarcham Constantinopolitanum sæpius contemptum habuit, variisque injuriis laceffit; cum autem vicissim promeritæ indignationis poenam luere cogeretur, vindictæ stimulis agitata, Maritum suum eo induxit, ut Turcis author esset, quatenus Dionysium sede sua deturbarent, ejusque loco Gerasimum Turnoviæ in Valachorum finibus Episcopum intruderent. Cogebatur Dionysius mulieris furori, & Turcarum avaritiæ aliquamdiu cedere, unde solo Patriarchæ titulo contentus, beneficii loco habuit, quod Philippo - Politanum Episcopatum obtinere potuerit. Nec diu intrusus ille Patriarcha suo potiebatur honore; quamprimum enim Parthenius, qui adhucdum apud Rhodios exul agebat, de Panajoti obitu certior factus fuerat, mox auro largiter profuso Gerasimi exauctorationem procuravit, sibi que Patriarchatum asseruit, sed post brevem coemptæ dignitatis usuram iisdem artibus & pretio, quo Sacrum hoc fastigium mercabatur, a Dionysio sede sua dejectus, miseram vitam ducere compulsus est.

§. LXXXVII.